

Et hoc ob reverentiam unius ydoli quod ibi colitur et adoratur. In istâ civitate moratur Lo Abassi,<sup>1</sup> id est Papa in linguâ suâ. Iste est caput omnium ydolatorum,<sup>2</sup> quibus dat et distribuit secundum morem suum habet. Nam mulieres portant plus quam centum tricas seu dresas, habentes duos dentes ita longos<sup>3</sup> sicut habent apri sive porci silvestres. Hæc etiam alia consuetudo habetur in hâc contratâ. Nam ponatur quod pater alicujus moriatur, et tunc filius ipse sic dicet, Volo honorare patrem meum. Unde faciet convocari omnes sacerdotes, religiosos, omnesque hystiones de contratâ vicinos, similiter et parentes, qui ad campaneam<sup>4</sup> ipsum portant cum gaudio magno, ubi habent paratum unum discum magnum super quo ipsi sacerdotes sibi caput amputabunt, quod postea filio suo ipsi dabunt. Deinde ejus filius cum sua tota societate cantat et pro eo multas orationes facit. Exinde sacerdotes totum corpus ejus incidunt in frusta quod cum sic fecerunt tunc sursum se reducunt cum societate pro eo orationes facientes. Post hæc veniunt aquilæ et vultures de montibus et sic unusquisque suum frustum accipit et asportat. Deinde omnes altâ voce clamant dicentes: Audias<sup>5</sup> qualis homo iste fuit quia ipse sanctus est; nam veniunt angeli Dei et ipsum portant ad paradisum! Sic isto modo faciendo filius ejus multum reputat se honoratum. Cum pater ejus ab angelis Dei, silicet, ab avibus illis ita honorifice sit portatus, tunc statim filius caput patris accipit, quod coquit et comedit. De testâ autem<sup>6</sup> seu osse capitis sibi fieri facit unum ciphum cum quo ipse et omnes de domo sua semper cum devotione bibunt, et in memoriam patris sui defuncti.<sup>7</sup> Nam sic faciendo, ut dicunt, reverentiam magnam exhibent patri suo; unde multa alia inconsueta et dissoluta fiunt ab istis.<sup>8</sup>

46. *De Divite qui pascitur a L Virginibus.*

Dum autem essem in prozincia Manzi veni per juxta pedem palacii cujusdam hominis popularis cujus vita per hunc habetur modum. Ipse enim habet L<sup>9</sup> domicellas virgines sibi continue servientes. Et cum vadit ad comedendum et in mensa jam sedet omnia fercula quaterna et quinterna<sup>10</sup> sibi portantur ab ipsis cum diversis cantibus et multis generibus musicorum, et sibi cibum in os ponunt sicut si esset unus passerinus<sup>11</sup> et insuper ante ejus conspectum continue cantatur, donec omnia fercula sunt comesta. Deinde alia quinque fercula ab aliis portantur et recedentibus istis primis cum aliis multis cantibus et diversis generibus musicorum. Sic isto modo ducit vitam suam dum est in mundo,<sup>12</sup> hic xxx *tuman tagaris* risi de reddito habet, quorum quodlibet *tuman* x milia facit; unum autem *tagar* pondus est unius asini magni.

<sup>1</sup> *Ven.* the same; *Ut.* lo albaſi; *Far., Mus. et Hak.* abassi; *Boll.* abbassi; *Marc.* lo abiss.

<sup>2</sup> *Mus. et Hak.* sicut noster papa est caput omnium Christianorum.

<sup>3</sup> *Ven., Far. et Mus.* in ore; *Far.* sicut habent porci.

<sup>4</sup> *Mus. et Hak.* campum.

<sup>5</sup> Videatis.

<sup>6</sup> *Mus.* id est de crepâ (?)

<sup>7</sup> *Hak.* with a touch of humour has comesti.

<sup>8</sup> *Hak.* Et multa vilia et abhominabilia facit gens illa quæ non scribo, quia non valent, nec homines crederent nisi viderent.

<sup>9</sup> *Far.* 40.

<sup>10</sup> *Far.* quinterna et quinterna.

<sup>11</sup> *Ven.* avicula quædam; *Hak.* pascentes cum sicut avis aviculas, et habet semper 5 fercula triplicata, etc.

<sup>12</sup> *Ven.* donec vixerit vitam suam; *Mus.* et sic hoc modo ducit in hoc seculo vitam suam.